

29. Dicitur 2. *plures enunciationes* conjungi per partic. disjunctivam, ut disjunctiva enuntiatio distingvatur a simplici de extremo disjuncto.

30. Hæc ut rectius intelligantur sciendum, part. disjunctivam *aut, vel*, dupliciter in enunciatione poni posse (a), ut conjungat tantum voces non vero integras enunciationes: ut in hac: *Homo est doctus vel indoctus*, ubi part. *ANT* connectit tantum voces, nempe *doctum* & *indoctum*, ut extremum, nempe prædicatum, fiat disjunctum, atque h. m. disjunctivam particula non facit enunciationem disjunctivam, sed enuntiatio, quæ h. m. habet partic. disjunctivam, est simplex de extremo, v. g. prædicato, disjuncto. (b) ut connectat integras enunciationes, e. g. *Aut dies est aut nox est*, hic per part. disjunctivam connectuntur duæ hæ enunciationes integræ *dies est, nox est*: h. m. part. disjunctiva constituit enunciationem disjunctivam, & hoc est, quod in definitione exprimitur, cum plures enunciationes dicuntur connecti.

31. Not. 1. Enunciationes illæ, quæ ad constituendam disjunctivam enunciationem concurrunt, dupl. possunt considerari, 1. quoad verba 2. quoad verborum sensum. Priori modo si spectantur, rectè dicuntur conjungi vel connecti per particulam disjunctivam, hæc enim interveniente coalescunt in unam, nempe disjunctivam enunciationem: posteriori